

Bibliothèque numérique

medic@

**Wenzel, J. De extractione cataractae**

*Paris : Quillau, 1779.*

Cote : 90957 t. 255 n° 3




(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)  
Adresse permanente : <http://www.biium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?90957x255x03>


COLENDISSIMO PARENTI  
**MICHAELI DE WENZEL,**  
**S. IMPERII LIBERO BARONI,**  
**REGINÆ HUNGARIÆ**  
**ET REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ,**  
**OPHTALMIA T R O.**

**Q**UAM multis ab hinc annis in Europâ tantâ cum laude perficiſ  
 operationem, cum eruditis communicare hodie aggredior; in lucem prodit  
 diu ab Ophthalmiatriſ expedita methodus tua, quam ſive in instrumenti  
 formâ, ſive in operandi ratione infidam & mancam ediderunt varii  
 autores; amicis confiliis mentem in conſcribendo manum in operando  
 duxiſti, haec igitur omnia tua ſunt, & ſi quæ nafcitur inde gloria  
 hanc tibi referre jubent nominis fama, animi gratitudo, & pietas.

Humillimè offert, obſequentiſſimus & devotissimus  
 filius tuus JACOBUS DE WENZEL  
 Sandi Imperii liber Baro.







# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimā-tertiā  
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIX.*

M°. CLAUDIO LA FISSE,  
Doctore Medico, Præside.

## *DE EXTRACTIONE CATARACTÆ.*

**S**UFFUSIO seu Cataracta, à veteribus sic nuncupata est, ob similitudinem quam existere sibi fingebat hunc inter morbum & valyas mobiles quarum ope fluminum undæ magno impetu ex altiori loco in magis declivem ruentium coercentur. HYPOCRATEM nullam de Cataracta mentionem suis in operibus injecisse videtur, Prima hujus denominationis vestigia ad ERASISTRATEM & HERO-PHILUM referebat clariss. PETIT Chirurgus. Autumabant yeteres illi medecinæ cultores ob inspissationem humoris aquei, pelliculam enasci corneam inter & humorem crystallinum, cuius velo cernendi facultas sufflaminabatur. Cataractam in

2

lente crystallinā sedere nequidem suspicabantur, huic humori visionēm cū  
GALENO tribuentes, exemptāque ideo illā parte oculum muniis ut antea mi-  
nimē fungi credebant. Nunc verò omnibus notum, lente crystallinā opacā ra-  
dios luminis intercipi. Hujus morbi sedem in illo humore existere probarunt  
BRISSEUS Medicus Tornacensis & ANTONIUS MAITRE JEAN Chirurgus;  
incisī enim plures oculis Cataractā laborantibus, iteratis exemplis & experi-  
mentis nullam in eis tunicam opacam, sed obnubilum potius humorem crys-  
tallinum semper subesse graviter monuerunt. Revera humor ille continuo affi-  
citur, numquā verò pelliculam in oculis suffusione tentatis nasci affirmamus,  
nisi quæ cum alteratione lentis sèpius conjungitur capsulæ anterioris aut  
posterioris opacitas pro pelliculâ enatâ male sumatur.

Cataracta, à colore sub albido quo nubilatur pupilla inter noxas affines  
facillimè distinguitur. In amaurosi pupilla immobilis, vel dilatata extra modum  
vel valde coarctata, nigraque observatur. Albugo sive oculi macula alba, haud  
post corneam aut iridem ut Cataracta, sed inter lamellas corneæ sedet. Ptery-  
gium corneam extrinsecus tegit. Hyppopium seu materiæ purulentæ congeries  
post tunicam corneam in humore aquo latet. Glaucoma verò non minus à  
Cataractā discrepat; in illo enim pars offuscata in oculo profundiùs delitescit,  
coloremque aquæ maris glaucum ut plurimum exhibet, qui vitreo humori in-  
sistens haud raro cum lentis opacitate conjungitur. Sèpius etiam in glaucomate  
vasa in varices dilatantur, quæ in extractione lentis hemorrhagiam minimè me-  
tuendam producunt. Ad varios lentis colores parum attendendum esse docuit  
experientia excepto colore albido quo certo certius indicatur crystallini molli-  
ties, ideòque paucas requiri compressiones ad illius exitum noscitur. Certum est  
equidem curationem semper felicius succedere. Ad alios verò colores haud spec-  
tamus. Lentis firmitas vel mollities vel fluiditas optabilior, cum extrahi debeat  
parum refert. Pupillæ verò mobilitas, ( quamquam adsint pupillæ ex naturâ  
inertes quæ non ideò de successu desperandum nuntiant ) oculi sensibilitas ad  
lumen uti ad umbram, molestia quando ægri luci vividæ exponuntur, ( quod

signum ut certius sèpè annotavi ) malum per se , non verò per istum , aliam  
ve causam obortum , subjectus aliundè sanus , hæc omnia felicissimum successum  
portendunt.

Curatio Cataractæ per medicamenta jam dudum à Medicis imò antiquioribus  
suscepta fuit , præsertim in morbi principio. Suadebant enim evacuationes fre-  
quentes tam totius corporis quam capitis , omnia quæ oculos roborare posse  
judicabant , inter quæ Foeniculum tum ad interiùs cum ad exteriùs , Euphrasia ,  
Rhuta , Verbena , &c. in infusionibus adhibita commendabantur. Præterea vesi-  
cantia ponè aures , setacea , fonticulos applicabant ; horum autem infasto  
omine pharmacorum inanitas sat abundè nunc probatur. Haud felicior fuit  
Millepedum Camphoræ usus diuturnus. Frustrà adhuc ab extracto Cicutæ &  
Belladonæ spes hauserat illustriss. STORKIUS. Apud innumeros ægros suffusione  
laborantes internam medicationem incassam semper observavit optimus parens ;  
si mercurii in Cataractis à venereâ labe pendentibus felicem excepéris usum. Hæc  
ergò derelinquimus de mercurialium adhibitione silentes. Supereft in hoc  
morbo periti chirurgi manus , ad quam confugendum est veluti ad sacram an-  
choram.

Chirurgia duas nobis offert Cataractam sanandi methodos , lentiç opacæ de-  
pressionem vel extractionem. Prima dudum à CELSO celebrata fuit. Hic acubus  
rotundis , ALBUCASIS latis utebatur. FREYTAGIUS in dissertatione de Cataractâ  
se membranam Cataractam efformantem ( ut contendit ) ex oculis ægrorum  
òpe acùs hamatæ eduxisse narrat. Quantam verò fidem huic adhibendam esse ,  
monent quæ de Cataractâ membranosa gratis admisstæ , superiùs diximus. Lentem  
aliundè crystallinam ab exiguo foramine uti ope acùs perfici potest quomodò  
eduxerit vix concipitur. De innumeris acuum varietatibus loqui vetant & dis-  
sertationis cancelli & instituti ratio quippè qui extractionem solam prosequi  
mens est.

Apud omnes gratiam non invenit extractio , fautores adhucdùm suos habet  
depressio ; quid mirum ? Tam facile peragitur ut tonsoribus etiam vel impe-

ritissimis ardua res non videatur, quamvis solertissimos ad sui curationem Medicos reposcat delicatum visionis organum. Propter vero damna quibus oculum frequenter plectit haec operatio a rationali chirurgia exulandam & ablegandam esse demonstrabit levis horum delineatio. Depressionem equidem absque dolore sat vivido haud celebrari docent membranarum adnatæ & scleroticae vix dicenda sensibilitas; effusio sanguinis in interiore globo saepè evenit quæ & suppurationem promovet nisi brevi resorbeatur sanguis & operanti nocet. Immanes oriuntur inflammationes multò magis quam in extractione periculose. Ferè semper dilaceratur membrana Hyaloidea unde corporis vitrei labes & inde orta cæcitas quamvis lens perfectè depressa sit pupillaque nitidissima appareat. Plures cum successu extractionem perfici nobis contigit, dum alter oculus facultate cernendi post depressionem orbatus pupilam nigram humorem vitreum acu deprimente diffusum offerret. Lens deppressa saepissimè primam repetit sedem; si vero quod saepius evenit humor ille dissolutus aut mollis deprehenditur frustra hujus depressionem tentares. Multi lentis dissipatae cum humore aquo tardigradam admittunt transmutationem & quasi fusionem, sed nostrâ mente subsistit in infimâ globi parte vi coactus & præcipitatus crystallinus humor malisque plurimis ansam dare potest. Demùm in unico tantum casu admittendam depressionem aurumamus quando judicatur ut peritos non fugit lentem crystallinam nimio volumine donari corneamque non fatis amplam esse ut per vulnus huic infictum exire queat.

Attamen dicent depressionis fautores in extractione aliquando abscinditur iris, amittitur pars humoris vitrei, accedunt staphylomata, apparent foedæ corneaæ cicatrices, in suppurationem abit globus. His omnibus singultim respondendum. Iridis sectio a rudioribus tantum & non exercitatis metuenda est; numquam accidit nisi fortuito casu, quando spatium iridem inter & corneam exiguum est, aut si humor aqueus citius ac par est effluat motu involuntario ægri. Aliunde iridis sectio cæcitatem non producit. Vitrei partis cujusdam effusio visionem non sufflaminat, ut parens & ego ipse experti sumus; è contra observavimus dum jactura vitrei parcior fit, inflammationibus numquam affici oculos. Vitrei lapsus

aliundè Medicis solertioribus non contingit. Staphylomata sat facile reducuntur cum tempore levi pressione suprà palpebram superiorem occluso oculo; si persistunt numquam ope forcicu illa absindere dubitavimus. Immanes corneæ cicatrices raro eveniunt sectione uno iactu peractâ, & tamen exigua difformitas ab his nascitur.

Hæc operandi methodus ( de extractione loquor ) DAVIELO debetur; multiplex erat hujus Chirurgi instrumentorum apparatus. 1º. Acus mirtiformis secans & semicurvata pro primâ sectione; 2º. acus apice obtuso scindens ad aperturam ampliendam, 3º. duæ forcices curvæ, 4º. spatula exigua levandæ corneæ dicata, 5º. acus sectioni capsulæ lentis inserviens. 6º. Tandem cochlea exigua cuius ope lens extrahi poterat (1). Postea D. LA FAYE corneam per latus incidentam esse putavit. Lanceolam in manubrio fixam invenit superius dorso obtuso subincurvam, unam pro unoquoque oculo, dein cystitomum ad secundam capsulam lentis. D. POYET cultellum filo instructum commendavit. (2) D. JANIN instrumento ab acu mirtiformi DAVIELI haud absimili utebatur ad secundam scleroticam propè corneam pellucidam, cum altero [dein] exiguo rete armato per vulnus in parte infimâ scleroticæ inflictum lentem cum parte humoris vitrei pescabatur. Quid de hac methodo censendum sit jam diù infausti eventus declaraverunt. E septem Cataractâ laborantibus, quibus lens secundum hanc methodum extracta fuit in regio Invalidorum nosocomio coram viris celeberrimis, ne una quidem operatio felicem obtulit successum. Hanc operandi rationem correxisse videtur. De illâ enim nihil dixit sed tantum de nostrâ methodo quam adhibere nuntiat (3) credit vero judeus apella. Nam contendit instrumentum nostrum cum lancollâ D. DE LA FAYE magnam similitudinem offerre. Unde falsam de instrumento ideam habere concludendum est, ideoque tali non uti.

(1) Vid. in Act. Chirurg. Parif. tom. 2. in-4º.

(2) Ibid.

(3) De Morb. Ocul. pag. 190.

Alia instrumenta (1) variis Autoribus celebrata prætermittam, de his tantum quæ cum nostro similitudinem quamdam habere à plurimis creduntur breviter differere necessum arbitror & ostendere quantum illa discrimen intercedat. Instrumenta DD. SHARP, TENON, TENHAAF, ab instrumento D. DE LA FAYE parum differunt, ideoque à nostro valde disparent uti modo patebit. Alter Ophtalmiater D. BERENGER scalpellum invenit leviter curvatum uno tantum latere secans, sensim sine sensu latius ideoque inferius convexum. Magna instrumenti illius cum nostro analogia his tantum qui illud ignorant reperta fuit. Scalpellum enim quo utimur rectum nullâ convexitate gaudet, acuminatum, & ita instrumentum ut humor aqueus continuò effluat, ad perfectam operationem. Instrumentum D. DE LA FAYE incurvum in dorso & in latere ad vitandam iridem. Instrumentum à patre inventum, rectum nullâ convexitate & in dorso & in latere gaudens unumque pro duobus oculis solum requiritur. Tanta denique adest dissimilitudo, ut qui has analogias repetere non dubitant, (2) ex aliorum scriptis non verò ex visu loqui mihi videantur.

His de variorum Autorum encheiresibus prælibatis, nostra venit nunc expenda. Cataracta, statusque oculi si probè noscatur, æger aliundè sanus, illum remediis non debilitandum afferimus, & longâ exemplorum serie suffulti præparationes rejicimus, pridiè tantum abstineat à cibis & vino, potus sit refrigerans, cenemata quædam adhibeantur. Agro in sede humili, medico in altiori positis, capite patientis à tergo inclinato, palpebram superiore minister in fronte trahit & firmiter retinet cum dígito indice leviter curvato manū dextræ si in oculum sinistrum celebretur operatio & conversâ vice; Medicus palpebram inferiorem deprimit cum duobus digitis manū oppositæ operanti, leviter diductis & incurvatis ut oculum in orbitâ non immergat, digitum medium manū sinistræ versus majorem oculi canthum locat & puncto quasi fixo utitur ad dirigendam scalpelli cuspidem,

---

(1) D. GUERIN alterum proponit instrumentum, sed vix concipitur quomodo cum successu adhiberi possit. (Vid. Tract. de Morb. Ocul.)

(2) Ibid.

expulsis omnibus speculis quæ potius irritant & nocent quam profunt, & nunquam ab expertis adhibentur. Idoneum arripit momentum Medicus, oculum liberum relinquit, tum in manu dextrâ instrumentum jam dictum tenet, observat quod plana quoad positionem oculi & iridis manere debeat lamina, versus minorem oculi canthum infligitur cuspis ad lineam ferè sclerotice, lanceola cum ad pupillam pervenerit, manubrium paulò anterius elevatur & motu subtili instrumentum in pupillâ immersum capsulam lentis secat. Altero motu subducitur instrumentum & versus majorem canthum sectio perficitur, digitus instrumenti exitui favet dein inferiùs perducta sectio operationem terminat, sectionemque semi circularem & horizontalem exhibit. Si super instrumentum iris involvatur dum effluit humor aqueus non ideo lanceola retrahatur, sed leni supra laminam frictione diducatur iris & perficiatur sectio. Oculi aliquando ita excavantur, & antica camera adeo exigua judicatur, ut per ardua fiat operatio, tunc illa oblique celebranda est, dirigendo laminam ex superiori ad inferiorem oculi regionem, eodemque modo secatur capsula lentis. Illâ sic methodo facilè vitantur vulnera nasi, carunculæ lacrymalis & conjunctivæ quæ sèpissimè, ob retractionem oculi cuspidi inhæret. Sic perfectiorem adipiscimur cicatricem, nulla que timenda sunt staphylomata ut in sectione horizontali, labia enim vulneris cum palpebrâ superiori non correspondent, quâ clausâ partes sectæ aliæ aliis melius applicatæ feliciùs agglutinantur, non hiant ut in sectione modo dictâ, iridisque prolapsus non facilis in latere ut in infimo corneæ. Quo peracto cum exiguâ cochleâ excitatur lens crystallina ad exitum.

- + Humor vitreus adeo convexus aliquando reperitur ut superiùs pulset lentem crystallinam quæ aliundè fibris ciliaribus haud raro adhæret; si non summâ cum dexteritate tractaretur oculus, vitreus omnino efflueret. Superius ideo leviter comprimentus est globus & inferius incisio tantum aperienda, lens crystallina extenuatam oram offeret facilèque extrahi poterit. Vitandum est in illo casu à parte inferiori oculum comprimere, humor vitreus enim haud dubiè efflueret lens crystallina remaneret. Si superiùs delitescat lens in humorem vitreum, unci exiguâ ope foras extrahi potest, ut mihi aliquando contigit. Lente vero ex-

tracta remanent saepius particulae, quas levioribus & repetitis frictionibus cum cochleâ supra corneam ad pupillam attrahere expedit. Aliquando enim præcipitantur, & operatio perfecta quamvis appareat, paucos post dies resiliunt pupillamque simul ac visum denuò præpediunt. Sedulò igitur ope cochlearæ extra-hendæ sunt. Iris quæ impulsione humoris aquei aliquando per sectionem producitur ad locum reponi debet, sic spes vitandi staphylomatis affulget. Si posterius amentum opacum sit requiritur manus habilis & assueta, quæ volvellâ exigua obtusâ ( ne laedatur corpus vitreum ) hanc nubilam portionem artipiat & extrahat. Peractâ operatione aquâ tepidâ exiguae aquæ vita quantitate mixtâ abluitur oculus vel emplastro demulcenti tegitur quod magis nobis arridet ob præstantiores effectus annotatos, splenio fasciâque deligatur singulâ die renovandis.

Lens crystallina capsulâ anteriori & posteriori inclusa quandoque ferè omnino dissolvitur, nucleo excepto, qui in materiam purulentam à dissolutione lenti in humore Morgagni conflatam, innatat. Formam hydatidis emulatur; capsula tum anterior cum posterior opaca semper deprehenditur. Signa huic suffusionis speciei propria solis in illâ arte assuetis dignosci possunt & vix ac ne vix delineari. Attamen iris plana in statu naturali in illis semper convexa observatur ob pressionem tumentis capsulæ. Peradua est in illo casu sectio. Vitanda læsio iridis, effluxusque vitrei metuendus, maximâ opus est dexteritate ut iridis læsio non contingat. Instituenda enim non est tam ampla ac in aliis suffusionis speciebus cornæ apertura. Inutilis fit immersio instrumenti in pupillam ad secandam capsulam, lens crystallina enim in capsulâ inclusa exitum per se molitur. Summam solertiam, magnam animi firmitatem reposcit hæc operatio. Semisepta cornæ, lens per pupillam pro maximâ parte producta nisi magnâ cum dexteritate & absque retractione scalPELLi sectio perficiatur, foras cum maximâ parte humoris vitrei exiliat, cæcitasque sequeretur insanabilis. Haud minus necessaria est in illo casu firmitas animi; manum operantis ducent & omnibus eventis providere mentis officium est. Illustrè exemplum offert vir in Mathematicis jamdudum cœlebris EULER, qui postquam oculum pari operatione imperito

agyrta peracta amisisset, parenti in Sto. Petropoli alium commisit visumque recuperavit. Hujus lens hydatidem amplam efformabat & tamen absque effusione vitrei peracta fuit operatio. Sectio insensibiliter celebrari, oculus palpebræ ope occludi debet, antequam tota perficiatur sectio. Illorum mediorum beneficio vitatur vitrei jactura.

Si vero capsula anterior omnino ossea deprehenditur vel cum lente profilit; & dito compressa sonum edit; vel in ipso oculo frangitur, & frustula quæ post lentis exitum remanent, volsellæ tenuis ope sedulo extrahenda sunt, ne maximum visionis partem sufflaminare queant.

### DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

<i>M. Guillelmus - Josephus DE L'EPINE, Antiquior Scholarum Magister, Antiquus Facultatis Decanus, Academiae Cenfor.</i>	<i>M. Joannes - Jacobus BELLETESTE, Antiquus Facultatis Decanus.</i>	<i>M. Paulus-Gabriel LE PREUX, Utriusque Pharmaciae Professor.</i>
--	--	--

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Henricus RAIMOND, Regis exercituum in Insulâ Corfica Medicus.</i>	<i>M. Antonius-Joannes-Baptista Maclovius GUENET.</i>	<i>M. Exuperius-Josephus BERZIN, Supremi Valachicæ &amp; Moldaviæ Principis Medicus, antiquus Regis exercituum &amp; Castrorum Medicus Primarius, nec-non è Regiâ Scientiarum Academiâ.</i>
---	---	---

<i>M. Carolus-Nicolaus D'ESLON, Serenissimi Comitis Atrebatum Medicus ordinarius.</i>	<i>M. Ludovicus - Guillelmus LE MONNIER, Consilarius Medicus Regis ordinarius Primarius, Regiarum Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius &amp; in Horto Regio Botanices Professor ac Demonstrator.</i>	<i>M. Laurentius FERRET, Ecclesiae Cameracensis Canonicus.</i>
---	---	--

Proponebat Parisis JACOBUS DE WENZEL, Cameracensis, Doctor Medicus Nanceianus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Dissertationis Auctor. A. R. S. H. 1779.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis Quillau Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1779,